DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

DE

TUSSI CONVULSIVA

QUAM

ANNUENTE INCLYTA FACULTATE MEDICA IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS JURE AC LEGITIME OBTINENDIS PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

ALEXANDER GYURICSICS.

Theses adnexae defendentur in palatio Universitatis.

PESTINI.
TYPIS JOSEPHI BEIMEL.
1847.

Viele Aerzte haben den Wahlspruch der Juristen sich angeeignet: Fiat justitia, pereat mundus — und unter Gerechtigkeit verstehen sie das, was sie für Recht halten. Der Artz muss aber sein, wie ein Hofmann: er darf keine Grundsätze haben, und nichts anderes zur Regel nehmen, als die Wünsche und Befehle seiner Gebieterin der Natur, die zugleich Weib und Gebieterin ungemein herschsüchtig ist. Deren Winke verstehen lernen (denn sie spricht nicht immer) deren Gebote erst vollstrecken, und dann in Erwägung ziehen, diesen Weg geht der ächte Heilkünstler.

Börne.

SEINEM

HOCHGESCHÄTZTEN, INNIGSTGELIEBTEN SCHWAGER

HERRN

JACOB THOMITS

WIDMET DIESE BLAETTER

ALS BEWEIS

SEINER INNIGSTEN LIEBE UND DANKBARKEIT

DER VERFASSER.

Tussis convulsiva.

Pertussis a Sydenham nominata, Tussis ferina, spasmodica, suffocativa: Germanis Keuch- Stick- Krampf-Brechhusten, epidemischer Kinderhusten.

Definitio.

Tussis convulsiva est morbus epidemio-contagiosus ad certa stadia fixus, incipiens cum signis catarrhalibus viarum respirationis, transiens in stadium spasmodicum — insultibus spasmodicis se manifestans, terminandus expectoratione muci filiformis.

Tria in hoc morbo stadia distinguimus up. I-um Stadium Catarrhale II-um Stadium Spasmodicum et III-ium Stadium Criticum, seu Decrementi.

Characteres Anatomici.

Sunt incerti, nam anomaliae hucadusque inventae ad resultata complicationum potius, quam ad ipsam Pertussim referendae sunt. Sanguine suffusa membrana mucosa bronchorum una e constantissimis anomaliis crebrius desideratur: saepe inflammatio parenchymatis

pulmonum deprehensa est, prout et tubercula eiusdem organi, glandularumque bronchialium. Brechet et Kilian pluries inflammationem nervi vagi ab aliis in multis casibus frustra quaesitam, detexere. Adsunt non raro vestigia congestionis encephali, eiusque meningum; organa digestionis rarissime sunt adfecta.

Imago morbi.

Stadium I-um incipit cum Catarrho viarum respirationis, sub quo adest tussis sicca, mane et ad vesperas exacerbanda, et jam initio instar insultuum frequentius de die recurrentium accedens; oculi sunt sanguine suffusi, illacrymati, facies turgida, febris communiter mitior, continua remittens, per 7 — 8 dies durans: adest somnolentia, somnus inquietus, appetitus prostatus. Febris sensim recedit, insultus tussis evadunt intensiores et character insultuum spasmodicus magis evolvitur, transitque morbus in

Stadium II-dum seu Stadium Catarrhale, ubi insultuum diutius durantium, citiusque semet excipientium praecursor est titillatio in larynge, trachea, epigastriumque usque extensa; quod omen aegri bene noscentes in situ sedentario, vel erecto fulcrum quaerunt. Insequuntur insultus spasmodici noctu communiter accedentes. Tussis est sicca intensa, cum inspiratione longa, sonora mugitui asinino simili, hinc tussis asinina-quam plures sonorae concutientes exspirationes excipiunt. Insultuum frequentia cohibetur respiratio, metusque suffocationis exsurgit; aeger manibus corpori adpressis capite reclinato spiritum allevare intendit. In sequelam impediti circuitus sanguinis per pulmones, vasa capitis et colli turgent, arteriae superficiales fortiter pulsant; facies inflatur, rubescit aut livescit: oculi splendentes protuberantes ac rubore perfusi, interdumque sub graviori et crebriori insultu ecchymoses in conjunctiva scleroticae conspiciuntur: pulsus acce-

lerati, irregulares, suppressi tanguntur; se- et excretiones sunt alienatae; nonnunquam sternutatio, non raro epistaxis, stomatorrhagia, haemorrhagiae bronchorum, emesis, enuresis et involuntarius alvi secessus obtinet. Durat insultus talis per **2,10—15** minuta; exspirationes sensim evadunt minus vehementes, inspiratio minus sonora, anxietas decrescit, signa turgescentiae faciei imminuuntur, expectorationeque materiei mucosae, tenacis, decoloris filiformis, aut interdum vomitu contentis ventriculi ejectis, insultus solvitur. Post quemvis insultum persentitur oppressio pectoris et delassatio, quae tamen cito disparet; absente complicatione infantes tempore apyrexiae cibos appetunt, lusibus consuetis sunt intenti, robore et hilaritate non turbatis; aut obtinente insultu nocturno placide obdormiunt. Tales insultus omni hora aut altera hora accedunt, crebriores noctu mane et ad vesperas, quam de die. In hocce stadio perseverat morbus intensitate gradatim augenda et decrescente per **3—8** hebdomades.

Stadium III-ium seu Criticum. Insultus evadunt rariores breviores non tam intensi; character spasmodicus est minus evolutus: quemvis insultum expectoratio muci copiosi tenacis viridescentis excipit. Stadium hoc **8—13** diebus, interdum uno aut pluribus mensibus durat.

Pro diversitate constitutionis epidemiae, et illius stadiorum, imago morbi diversas subit alienationes. Sic initio Epidemiae casus sunt imperfecti; in stadio acmes character spasmodicus est maxime evolutus; in stadio decrementi casus occurrentes sunt denuo minus expressi, morbusque notabiliter mitescit.

Diagnosis et ultima differentia.

E recensitis imaginem morbi exhibentibus symptomatibus, inter quae ut pathognomicum periodicus ille

insultuum recursus, maximeque tussim convulsivam insigniens sonus ille singularis inspirationis vocem asininam imitans eminent, diagnosis sat tuto construi poterit, dummodo singula phaenomena cum decurrendi modo rite computentur. Ut tamen difficultates, quas praxis offert, eo securius superentur atque confusiones cum morbis ad finibus evitentur, oportebit adsignare morbos adparenter similares, et adferre notas praecipuas, quibus et tussis convulsiva, et ei adfines morbi maxime characterisantur.

Confunditur frequenter.

1-o Cum Asthmate Millari.
2-o Cum cynache diptheritica crouposa.
3-o Cum Pleuroperipneumonia infantum.

A) Characteres palmarii.

In Tussi convulsiva.	In Asthmate Millari.
1-o Morbus epidemio-contagiosus adultos quoque invadens.	Morbus semper infantilis sporadicus non contagiosus.
2-o Adest febris.	Febris nulla.
3-o Stadium Catarrhale praecedit.	Repente et inopinate sanos adgreditur.
4-o Insultus semper incipit in longum protracta inspiratione sonora mugitum asininum imitante, et muci tenacis copiosi filiformis viridescentis expectoratione, — interdum et vomitu — finitur.	Sub insultu tussis plerumque nulla sed constrictionis sensus in pectore; expectoratio et vomitus plerumque nullus, aut rarus.
5-o Decursus saepe per plures septimanas, imo et menses protrahitur.	Decursus communiter brevis est.

B) Notae characteristicae.

In Tussi convulsiva.	In cynanche diphteritica crouposa.
1-o Febris plerumque gradus mitioris.	Febris intensa vires nimium prosternens.
2-do Localis adfectio sensibus non patens; dolor nullus.	Adfectio localis cum exsudato plastico in faucibus conspicitur; dolor continuus urens in faucibus et ad laryngem accusatur.
3-io Tussis paraxysmos celebrans, singularis, morbo huic propria, cum excretis ut supra.	Tussis brevis non intermittens; ejectio sputorum cum exsudato plastico forma tubulari mixtorum.
4-o Decursus in longum protractus; complicatione absente prognosis plerumque laeta.	Decursus acutus imo nonnunquam acutissimus, cum exitu frequenter letali.
5-o Causa occasionalis constitutio epidemia specifica morbillosa.	Causa occasionalis constitutio epidemia specifica scarlatinosa.

C) Notae characteristicae.

In Tussi convulsiva.	In Pleuroperipneumonia infantum.
1-o Febris mitior.	Febris intensa crebrius cum deliriis et statu soporoso procedens; pulsus frequens, durus, calor siccus, rubor genarum; lingua plerumque muco albicante tecta.
2-do Tussis et sputa ut jam commemoratum.	Tussis frequens, dolor continuus quolibet motu augendus, ab infantibus dum loqui sciunt, assignatur.

3-io Respiratio sub insultu cum maximo virium conamine, et auxilio plurimorum musculorum perficitur.	Respiratio abdominalis, citata, inordinata.
4-o Auscultatione in stadio II-o eruitur respiratio vesicularis debilior; in stadio 3-io audiuntur stertores inaequales non consonantes.	Signa acustica Pleuroperipneumoniam characterisantia praesto erunt.

Complicationes. Frequens complicatio Tussis convulsivae est Bronchitis, Pneumonia diversi gradus, Tuberculosis, quae post exantlatam Pertussim rapide procedit, Oedema et Emphysema pulmonum, Pleuritis, Pericarditis, nonnunquam et Croup.

Ad morbos Posthumos pertinet Bronchectasis, Haemoptoë, Emphysema pulmonum, Tuberculosis.

Aetiologia.

Experientia teste constat infantes a nativitate usque ad dentitionem 2-dam in hunc morbum inclinari; post 8 et 10 aetatis annum rarius, quamvis hoc morbo etiam adulti corripiantur, neque aetate provecta immuni relicta. Magis disponuntur infantes cute tenera, pastacea, constitutionis seu cophlegmaticae, dyscrasia scropulosa notati.

Causae occasionales sunt. Constitutio epidemia specifica, etquidem juxta observationes omnis aevi praecedit huic morbo epidemia morbillosa aut subsequitur illum, videturque in peculiari nexu cum illo existere. Constitutio haec eminet praecipue tempore vernali et autumnali, sed occurrit etiam quovis alio anni tempore, sub omni climate, quavis temperatura: modificatur per constitutionem stationariam et annuam:

prior impertit morbo characterem generalem, *altera* vero characterem lateralem, uti: catarrhalem, rheumaticum, gastricum et biliosum. Epidemia regnante adficiuntur infantes totius pagi, civitatis aut provinciae alicujus. Regnavit Epidemia haec saepius, innumerasque strages generi humano intulit. Morbus hic *endemice* quoque occurrit, hocque obtutu influxui cuidam soli deberi videtur; hinc frequentior in Scotia et Hibernia, frequens quoque apud nos obtinet. Altera causa hujus morbi est *Contagium,* quod eo intensius est, quo Epidemia acme proximior. Pugnant pro eius contagiositate argumenta sequenția 1-o Successiva morbi in eadem familia propagatio, quin adesset constitutio epidemia; translatione aegri tussi convulsiva laborantis in regionem, ubi nulla Pertussis occurrit, individua in conctactu eius posita dispositionemque in tussim convulsivam habentia, eodem morbo adflcientur. 2-do Morbo semel exantlato dispositio in Pertussim eliditur.

Sedes et Natura morbi.

De essentia hujus morbi diversae sunt opiniones. Maxime adproximatur veritati illorum opinio qui asserunt: Pertussim fundari in inflammatione nervi vagi, aut in inflammatione glandularum bronchialium, taliterque inducta reflexione in nervos motorios musculorum respiratoriorum, tussis insimul cum spasmo glottidis per reflexum ad nervos laryngis inferiores recurrentes provocatur.

Opinio nostra de hoc morbo alterius tenoris est. Nos credimus Pertussim fundari in processu morbilloso qui praecipue in nervo vago figitur, sicque provocantur mentionati illi reflexus ad nervos recurrentes laryngis et ejus glottidis. Revera tussi convulsivae subjacere processum morbillosum, sequentia demonstrant argumenta:

1-o Uterque morbus simultanee regnat. Morbillos enim Pertussis vel praecedit vel subsequitur; taliterque peculiaris nexus in Constitutione epidemia adparet.

2-do Uterque morbus ad certa stadia fixus est, nullaque nevrosis existit, quae tantopere ad distinctas periodos restricta foret. Character hic solummodo processibus exanthematicis acutis febrilibus convenit.

3-io Tussis morbillosa magnam analogiam cum Pertussi habet, i. e. etiam priori quidpiam spastici adhaeret.

4-o Pertussis est morbus epidemio-contagiosus, adeoque non nevrosis; nulla enim nevrosis fontem in constitutione epidemia e contagio agnoscit.

5-o Dispositio convenit aetati infantili, quae usque ad 2-dam dentitionem protenditur; jam autem dispositio in morbos exanthematicos acutos febriles in hac aetate communiter versatur.

6-o Pertussis semel exantlata dispositionem in eundem morbum tollit, ubi e contra in pura nevrosi per morbum exantlatum, dispositio magis augetur. —

Denique 7-o mala consecutiva ex utroque morbo opullulantia eadem sunt, uti: haemorrhagiae, bronchectasis, emphysema pulmonum, tuberculosis, praeprimis ea glandularum bronchialium.

Haec igitur argumenta e forma, dispositione, causis occasionalibus, et coexistentia desumta, nos de identitate processuum horum morbosorum evincunt ea cum differentia, quod processus exanthematicus hic praevalenter nervum vagum adgrediatur. Sicque comparari potest hoc respectu cum typho, etquidem cum forma ejus cerebrali, ubi aeque energia nervea praevalenter adfecta est. Reflectamus porro hoc obtutu ad febrim intermittentem, quantae hic diversitates? jam enim sub forma exaltatae vitalitatis systematis nervosi, uti sub forma spasmorum, dolorum; jam vero sub forma Anaesthesiae systematis ejusdem, uti Anaesthesiae cerebri, comatis, paralyseos, occurrit: et tamen

quoad naturam omnes suprafati morbi cum febri intermittente conveniunt, nam ex eodem fonte, ex eodem genio epidemio opullulant.

Decursus Pertussis est lentus ad certa stadia fixus, ante 8 septimanas cyclum suum vix absolvens, et interdum in 3—6 menses excurrens.

Prognosis dependet ab intensitate, stadio, charactere, complicatione, signis praevalentibus, et ab individualibus relationibus. Pertussis est morbus semper pertinax omni curae rebellis, fixa ad certa stadia, quae vix breviora reddi possunt, insultus tamen mitigari queunt; facile ansam praebet morbis posthumis gravioribus, quos paulo ante meminimus. Decursus ejus eo atrocior est, quo tenerior aetas, quo major numerus eodem tempore adfectorum. Dubius est exitus, si insultus frequentes et intensi fuerint; facile enim mors suffocativa subsequitur. Dubia est prognosis, si cum morbis, quos in Complicatione meminimus eodem tempore praesto sit. Plerumque letalis, si combinatur cum hydrocephalo.

Therapia.

In Stadio I-o dum adhuc febris adest, et irritatio catarrhalis pulmonum praevalet, requiritur methodus antiphlogistica mitior, cataplasmata emollientia aut emollienti-irritantia; nitrum; tart: emeticus; aut si febris mitior sit, sal amoniacus. Si adsit simul bronchitis, pneumonia, methodus antiphlogistica strictior: hirudines, calomel, nitrum, tart. emeticus.

In Stadio II-o indicantur remedia narcotica aut alterantia, vel combinatio eorundem. Infantibus syrupus diacodii, aqua laurocerasi, lact: austriacum, extr. hyosciami, belladonna, dulcamara; *ex alterantibus:* restricta dosis tart: emetici, magist: bismuthi, flor. zinci; recentissimo tempore Coccinella, quae praescribitur in infuso aut Decocto gr V-VI-X cum

saccharo: aut in pulvere gr. $^{1}/_{4}$ — β pro dosi hamaph. Peculiaris effectus hujus remedii non observatur, mitigatur solum insultus (Sauer). Optimum remedium est aqua laurocerasi cum syrupo aut mucilaginae gutt. j—jj pro dosi hamaph.

In Stadio III-io Praemissis remediis expectorationem promoventibus uti. sulf. aur. antim; tart. emet.; sale ammon; dulcamara, remedia membranae mucosae laxitatem tollentia, uti: polyg. amara; gumi res. ammon. lotiones frigidae indicantur. Morbi posthumi suo modo tractandi erunt.

THESES DEFENDENDAE.

1-o Sunt morbi salutares a medico fovendi.

2-o Tussis convulsiva fundatur in processu morbilloso, sedem suam in nervo vago figens.

3-o Ebrietas omnes formas vesaniae ludit.

4-o Curae locali in ulcere syphilitico non est fidendum.

5-o Certum criterium ulceris syphilitici est sola insitio, et ideo

6-o Insitio haec ad inventa nostri aevi momentossima spectat.

7-o Typhus abdominalis est morbus substantivus primarius, non vero secundarius.

8-o Crasis albuminosa fons uberrimus morbi Brigthii.

9-o Auscultatio et Percussio, insigne Diagnosis et Therapiae adminiculum.

10-o Enthelminthum origo per generationem aequivocam explicanda est.